

do, uti legunt Biblia Latina Francofurti A. 91. edita: Qui manducant indigne, rei fiunt *ipsci* Corporis Christi, vid. Gerh. Loc. Theol. de S. Cœna f. 97. *secus & manducando indecenter.* Quo ipso æque injuriosus quis est in ipsum corpus ac sanguinem Christi, ac Judæi olim condemnando, milites cædendo & vulnerando, & Pilatus ad mortem tradendo. Bene hic B. D. Schezerus in Antif. Coll. p. 960. *Reus corporis Christi significat occisorem & carnificem, ac si ipse Dominum de-
nuo crucifixisset, sanguinem ejus profudisset & pedibus conculcasset, uno
verbo ipsi Corpori Dominico vim quandam intulisset,* provocans ad Ebr. 6, 6. Ambros. in Ebr. X. 29. Cyprian. serm. de Lapfu &c. Non autem *tò indigne manducare* objective solum intelligendum, sed & subjective, non enim solum id in corpus ac sanguinem Christi est iniquum, sed & ipsi communicanti velut indigne maxime nocuum. Cum enim dignitas nostra coram Deo non sit ex lege aut nostrorum meritorum, sed Evangelica ipsa Justitia Christi fide apprehensa 2. Thess. I. II. impii vero ac increduli Jesum Christum fide ira, ut ex ipso vitam hauriant, amplecti nolint ejusque ac omnium illius beneficiorum ad justitiam participes reddi, imo incredulitatem suam per peccata Corinthiaca prodant: qui aliter judicari possent, quam quod *κονωβία* Corporis ac sanguinis Christi malitiose abusi, semet tanto mysterio tamque sublimi communionem cum Christo indignos temere reddiderint: Conf. Chemn. L. c. de Fundamento S. Cœna f. 96.

§. 7. Quod Reatum pœnæ attinet, habet se illa vel privative vel positive. Privative cum indigni dicuntur *non manducare cœnam dominicam* v. 20. Quæ verba non patrocinantur Calvinianorum sententiæ, qua cessante Spirituali manducatione statuunt, prorsus non manducari Cœnam Dominicam, eo quod corpus Christi tam longe absit à Cœna quam cœlum à terra; neque pro Bucero faciunt, qui in declar. Articulorum Concord. A. 38. publicatâ dicere sustinet, manifeste impios & Epicuræos, qui omnia contemnant & rideant, nec quicquam credant Domino, panem saltem & vinum, non vero Corpus & Sanguinem Christi percipere. Ast Apostolus v. 27. secus docet, nimirum tam vere manducari ac bibi ab indignis Corpus ac sanguinem Christi quam vere manducando ac bibendo rei fiant Corporis & sanguinis Jesu Christi, dum non discernant Corpus & Sanguinem Christi à vulgari cibo, sed contemtim sine reverentia, & sine vera fide

fide